



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Cursus Biennalis Studii Canonici, Sive Succincta Et  
Methodica Sacrorum Canonum Explanatio**

**Engelhard, Johann Martin**

**Moguntiae, 1700**

Titulus XIII. De Eo qui cognovit consanguineam uxoris suæ vel sponsæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63255](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63255)

## TITULUS XIII.

De

eo qui cognovit consanguineam  
uxoris suæ vel sponsæ.

**QUÆRES 1.** Quale impedimentum *h.t.* occurrat declarandum? Respond. Explicari impedimentum proveniens ex affinitate *ortâ* ex fornicatione vel incestu cum consanguineis sponsæ vel uxoris.

**QUÆRES 2.** Quomodo talis affinitas illicita dirimat matrimonium? Respond. Distinguendo duos casus; Primus est quo maritus incestum comittit, cum consanguineis uxoris suæ; licet enim hoc casu matrimonium antecederet contractum non dissolvatur, obstante matrimonii indissolubilitate perpetuâ duplex tamen exinde impedimentum oritur, unum impediens exactionem sive petitionem debiti Conjugalis, per textum *cap. si quis h.t.* etsi parti innocent., reddere teneatur. *cap. transmissæ h.t.* alterum quo tam ipse, mortuâ etiam uxore, quam uxoris suæ consanguinea carnaliter cognita à matrimonio cum quacunque persona impeditur, idque propter injuriam quam matrimonio irrogant. Si tamen vir matrimonium cum alia persona contraxerit contra hujus canonis prohibitionem; illud validum erit, quia tali incestu solo matrimonium quidem interdicitur, non tamen contractum irritatur. *Sancti l. 7. de matrim. disp. 15. n. 1.* quod idem de uxore, si cum consanguineis mariti incestum commiserit, eadem ratione statuendum erit; ad hoc au-

tem

autem ut tale impedimentum contrahatur, requiritur ut incestus voluntarie factus sit, vis enim uxuri illata obstat, quo minus illa à matrimonio contrahendo arceri possit. Secundus casus est quo sponsus fornicatur cum consanguinea sponsæ in primo vel secundo gradu; tunc enim dissolvuntur sponsalia de futuro propter ortam ex tali copulâ affinitatem quæ dirimit matrimonium inter sponsum & sponsam contrahendum. Juxta *cap. veniens. 65. Trid. sess. 24. cap. 4. de reform. matrim.*

**QUÆRES 3.** An etiam incestus cum propria consanguinea impediatur matrimonium cum alia contrahendum? *Respon.* Cum *Sanchez, lib. 7. disput. 15. num. 16.* negative; Ratio est quod jura allegata loquantur tantummodo de incestu cum affine, & ideò quòd pœnalia sint, extendi non debent ad incestum cum propria Consanguineâ commissum.

**OBJICIES 1.** *Can. si quis viduam. c. 32. q. 7.* Matrimonium incestuosis simpliciter interdicitur; ergo etiam propter incestum cum propria consanguinea, oriatur hoc impedimentum. *Respond. N. conseq.* quia *can. citatus* prohibet conjugium tantum inter ipsos incestuosos non inter alios, uti ex *can. de incestis caus. 35. q. 3.* patet.

**OBJICIES 2.** *Can. fin. caus. 32. q. 8.* Incestuosi arcentur à matrimonio quomodocunque contrahendo; ergo incestus cum consanguinea propria inducit hoc impedimentum. *Respond. Neg. conseq.* ideo enim *loc. cit.* incestuosos matrimonium interdicitur quod monitione contemptâ in incestu contumaciter perseverarint.

**QUÆRES 4.** Quid requiratur ut prædictis pœnis sit locus? *Respond.* Requiritur, ut in-

cestus per copulam carnalem ad generationem ex  
le aptam & consummatam perfectus sit, per textum  
canon. *extraordinaria. caus. 35. q. 2. § 3. iunctâ glossa.*,  
verbo impedire; & ut sit admissus scienter.

QUÆRES 5. An dictæ constitutiones ho-  
diedum adhuc obtineant? Respond. Etsi pri-  
vatio juris exigendi debitum à conjugē, & impedi-  
mentum dirimens quod à sponso cum sponsæ con-  
sanguineâ contrahi diximus, hodierno etiam usu  
recepta sint, pœnatamen quæ incestuosos in per-  
petuum à Conjugio repellit probabilius consuetu-  
dine sublata est. *Sancb. l. 7. disp. 17. num. 8.*

## TITVLVS XIV.

De

### Consanguinitate & Affinitate.

QUÆRES 1. Quid sit Consanguinitas? Re-  
spond. Consanguinitas à sanguinis unitate  
dicta, est *vinculum vel propinquitas personarum,*  
*ab eodem stipite vel genitore propinquo per carnalem pro-*  
*pagationem descendentium.* Dicitur *ab eodem stipite pro-*  
*pinquo,* quia si sufficeret descensus à stipite remoto,  
omnes homines utpote unius Adæ posterī, consan-  
guinei forent, quod non est utpote cum ad consan-  
guinitatem requiratur unitas, & communicatio ejus-  
dem sanguinis, idem autem Adami sanguis in tot  
homines diffusus, non censeatur amplius moraliter  
existere, ut hi in eodem communicare possint.

QUÆRES 2. Quænam in consanguinitate  
in ordine ad scienda matrimonii impedimenta, ob-  
servanda sint? Resp. in consanguinitate duo sunt  
observanda, videlicet *lineæ, & linearum gradus;*

*Lineæ*